



J. C. FREITAS
ENCADERADOR
LISBOA

RESERVADO
89.
B. N. L.


4-49


Microfilanada

iii

3-6-73

Penelope





© 1911
W. A. R. I.
© 1911

FVNEBRIS
 ORATIO IN SACRIS FVNERI-
 bus Philippi Secundi Regis Catholici, Com-
 bricæ habita in Regio Academiae Cæno-
 bio quinta die Nouembris.

M. D. XCVIII.



Riste sanè & per acerbum, necessarium tamen ac debitum Philippo Rege Catholico inuictissimo, sed à morte victo, officium soluitis, Amplissime Rector, grauisimi Patres, viri Religiosi, Consulares, & studiosi, mœstissimi, vt par est omnes; in quo persoluendo, neque pietatem, neque benignitatē desiderari posse, satis ostendit hæc tumuli moles, si minus tanto Rege digna: ex ipsius certè præscripto posita: hi parietes non auleis & peristromatis, vt aliàs adornati, sed lugubri veste & mœstitiam spirante contacti, ferales illæ tede, hæc omnium ordinum frequentia, lugentium animorum vultus, & reliquus exequiarum apparatus: è quibus omnibus mortalitatis quedam recordatio, & suavis odor pietatis, obseruanti eaq̃ tanto Monarchæ debite simul est flatur. Vestram tamen (vt verè fatear) in diligendo Oratore requiro prudentiam, qui tam multis prætergressis, quos vel facundia, vel dignitas, vel facultatum eminere

§

tia,

tia, communi, ut credo, præiuditio, in hoc munus desti-
nabat, ex squalenti obscuroque Medicinæ latibulo in
hanc lucem & illustre totius Regni theatrum eduxe-
ritis hominem, qui latebris contentus suis, rebus splen-
didis & magnificis, iam pridem valere iussis latere sibi
duxerit non minus opportunum, quàm necessarium. Et
quidem tam atroci & inopina denuntiatione percitus,
impositum mihi onus (ut scitis) quod potui, recusavi, re-
cusassemque porro, nisi vestra auctoritas, quam semper
habui gravissimam, interuenisset. Ceterùm ubi me pau-
lulum collegi ex illo penè dixerim stupore, quo fueram
oppressus, animaduerti prudenti factum esse consilio,
ut laudationis funebris negotium daretur illi, cui lethali-
s coloris insignia, qualia scitis esse disciplina nostræ,
contigerunt. Minus decet funera niueus candor, non ni-
bil ab his abhorret rubeus color, viridis, qui spei nota
vulgò celebratur, mihi videtur prorsus alienus. Solus is,
cui vnà cum colore feliciorum euentuū spes omnis adē-
pta est, ne quid ad huius funeris celebritatem exornan-
dam deesset, accommodatus declamator non immeritò
putandus est. Igitur, si, ut ego interpretor, necessitate ma-
gis, quàm dignatè huic functioni præpositus sum, æquio-
ri animo feretis quidquid ieiunè & inconditè dicetur:
rati videlicet id quod res est, tam luctuoso tempore læ-
tioribus musis, vel silentibus, vel lucem fastidientibus,
personam quæsitam fuisse, non eloquentiam, & ad pu-
blicam

blicam diei tristitiam representandam è tenebricoso ly-
 cæo non ad pæana concinendum, sed ad epycædium pro-
 nunciandum, feralem (vt ita loquar) euocari oportuisse
 declamatorem.

Dicam igitur quando res ita tulit, & auctoritas ve-
 stra ex innumeris Magni Philippi encomijs pauca que-
 dam, quæ sint innumerorum summa; Quoniam ta-
 men vbi summa sunt omnia, breui compræhendi ne-
 queunt, quandam veluti Acephalosum summam
 que complectar facinorum, quæ quacunque se proten-
 dunt, vel terrarum sola, vel aquarum æquora pertin-
 gunt.

Scitis Oratoribus id esse solenne, vt à Maiorū cla-
 ritudine & nobilitate Principum virorum & Regum
 etiam laudationes auspicentur. At reprehendendus sa-
 ne viderer si ad commendationē Regis omnis memoriæ
 omniumq; secularū longè clarissimi, auorū proauorūq;
 seriè vellè deducere ab ipsis inde Recaredis per Carolos,
 Philippos, Maximilianos, Federicos, Herneustos, Arnul-
 phos, Rodulphos, Albertos, Sigismundos, Robertos, &
 quāplures alios Imperatores Augustissimos, vel Reges
 Vngaros, Bohemios, Nauarros, Aragonios, Leonos,
 Hispanos, Lysios, victoriarum & triumphorum multi-
 tudine celeberrimos, quibus vtroque latere septū Philip-
 pū Magni Caroli filiū sua magna fortuna maximū es-
 se voluit, vt titulos omnes in ignorū excederet. Prædicēt

alij earum virtutes, gloriam, fortunas, res gestas, triumphos, trophæa: dicant tam belica in laude, & rei militaris peritia, quàm domi pacatis, tranquillisque in rebus tantum sibi Iustitia, Pietate, Temperantia, Religione, reliquarum virtutum omnium exemplo, apud omnes gloriæ famæque peperisse, quantum neque Græcorum Themistocles, neque Thebanorum Epaminondas, neque Lacedæmonum Lycurgi, neque Persarum Alexandri, neque Romanorum Marij, Camilli, Fabricij, Augusti, aut in bello, aut in pace prosperis rerum auspicijs comparare potuerunt. Celebrentur hæc quidem in alijs, qui sola maiorum excellentia clari sunt; non in illo in quo laborandum est, non quid dici possit; sed vnde capiendum, laudandi principium.

Natus est Philippus Secundus Rex Catholicus anno salutis nostræ M. D. XXVI. mense Maio, amenissimo, vti que anni tempore, quale decebat eum, qui Hispaniæ nedicam, an Europæ? imò totius orbis flos pulcherrimus, cæloque gratissimus futurus erat. Exhiberavit ortus hic non Carolum modò & Isabellam tantæ sobolis parentes æterna memoria Principes dignissimos, sed Europam vniuersam incredibili voluptate letitiâque compleuit. Teneram illam & filo fluentem aureo ætatem bonus pater prudentissimis viris excolendam commisit, vt insitam virtutem & generosam indolem à maioribus haustam promoueret doctrina. Philip-

pus annis semper maior non satis habuit ijs vti pæda-
 gogis, quibus eum pater dederat in disciplinam, con-
 scientiæ suæ, quam Origenes Adamantius optimum
 affectuum correctorem, & animæ pædagogum ap-
 pellat, assiduus discipulus auscultabat. Itaque in ipsa
 pueritia virum, earum rerum quas fert adolescentia,
 vix orederes affinem: Oculis quidem suorum, sed ani-
 mis præcipuè seruiabat: grauitatem morum ita tem-
 perabat, vt tristitiam & arrogantiam exueret: ac quòd
 vix alijs in senectâ contingat, reuerenda quædam ado-
 lescentulo inerat amplitudo, quàm in priuato auctori-
 tatem, in Principe Maiestatem dicimus incessu, facie,
 & cætero corporis habitu dignus Imperio, & quem na-
 tum finxisset ad sceptrum: oratione pressus, at locu-
 ples, quod eximiæ sapientiæ est: prudentissimus enim
 sermo ille censetur, qui sensus habet multum, verbo-
 rum parum, vt in monetis illa optima, quæ pretij plu-
 rimum in parua mole. Suberat iam tum senilis quæ-
 dam in adolescentis pectore maturitas, ac vigor animi,
 in gentibus negotijs par, vt Carolus Imperator labori-
 bus quàm ætate grauior requietem expetens & cessa-
 tionem, vt æterni Regni negotiationi vacaret liberiùs.
 Athlant eum tanti Principatus onus in filium specta-
 tæ virtutis adolescentem, tanquam in alterum Hercu-
 lem fidenter inclinarit.

Hic ego, auditores humanissimi, quammaximè in

partem cursum dictionis intenderem, vt in patenti æquore, diutius dubitauī. Sed itineris dux, aut cursus potius commodum occurrit Diotogenes quidam Pythagoreus Philosophus, qui ad perfectissimi Regis absolutionem tria desiderat ornamenta, Iustitiæ amorem, Religionis studium, militiæ disciplinam. Regem enim affirmat nihil esse aliud quàm belli Ducem, Iudicem, & Sacerdotem. quæ in Philippo Rege, si in quopiam maximè extitisse attendite.

Reges omnes, si credimus Herodoto, iustitiæ fruendæ causâ olim constituti sunt, eaque virtus totius Imperij firmamentum, & Regiæ cõmendationis ac faniæ fundamentum habetur, sine qua nihil potest esse laudabile. Audierit hæc ab alijs, an didicerit à Natura Philippus, nescio: illius partes omnes in se mirabiliter cum expressisse, nemo nescit. Ex quo Reipublicæ curâ suscepit, beata semper illi suorum vita proposita fuit: secū enim sic cogitabat Reipublicæ commissam sibi, nõ seruitutem, sed tutelam, & se non tam dominum esse populi, quàm pastorem, vt omnium somnos vnus vigiliã defenderet, omnium otia vnus labor, omnium diuitias vnus industria, omnium vacationem vnus occupatio: quòd vt assequeretur facilius, eam sibi virtutem adsciuit comitè, quæ Reipublicæ maximè utilis est, & Regibus maximè decora, quæ ius & æquū in se, inq; alijs firmiter seruat: in se inquã (auditores) intelligo quid loquar.

4
loquar, non enim ex ijs erat Philippus, quibus illud Poeta placet, Sanctitas, Pietas, Fides priuata bona sunt, quæ inuat Reges eant, qui sibi licere putant quicquid libeat, æquum an iniquum sit nihil pensi habent: Alti hoc defixerat in pectore, non quantum sibi commissum fuisset: sed quatenus permissum, tenebat probe leges non scribi Regibus: cum tamen posse omnia videretur, sola sibi licere putabat laudanda, diuino planè consilio, frustra enim legibus ad virtutem instruas quos corrumpas exemplo, quanquam & Regum vita lex quaedam tacita est: hoc enim & illorum fatum, vt quicquid faciant videantur percipere.

Ceterum vt se suasque omnes actiones ad iustitiæ normam exigeret, virtutum reliquarum ceterum diligenter sibi comparauit. Memorare possem documenta quàm plurima virtutum maximarum, quæ priuata personæ propriæ sunt, Regiam tamen mirabiliter exornant: sed quominus hæc minutiora confecer, mirabiliora alia, ad quæ properamus, impediunt.

Dum se ille in officio sustinebat, ceteros rationi obsequentes & legibus suis obtemperantes faciebat: quæ laus in Monarcha nostro palmaria fuit, vt summos cum infimis pari iure retineret, ne sibi ipsi aut proprio sanguini si Iustitiæ ratio ita postularet, parcius

rus. Nihil in auditum affero, aut incredibile reuocate
memoriam præteriti temporis, & ad nuperam ætatem
vsque deducite, mecum vos opinor esse facturos in pu-
blicis flagitijs puniendis nullum ab æquissimo Rege
gratiæ locum datum fuisse, nullam habitam rationem,
vel hominum, vel personarum. In vitijs pleclendis cen-
sor erat acerrimus, in peruestigandis sagacissimus in-
dagator: neque commissa latebras habere poterant, ne-
que impunitatem detecta. Porro autem ad iustitiæ ad-
ministrationem non suo solùm iudicio & industria ni-
tebatur: esset enim id extremæ confidentiæ, sed virtutis
exploratæ adiutores, alium in aliud munus pro cuiusq;
indole assumebat, in quo raræ prudentiæ specimen ani-
maduertitis. Verè enim Atticus ille scriptor monuit præ-
cipuum munus Principis esse consiliarios parare. Nã
cum omnis ratio & institutio vitæ adiumenta hominũ
desideret, tũ hæc Regum maximè, in qua certum est
Principem sua scientia non posse cuncta complecti, nec
vnius mentem esse tantæ molis capacem, & satis sapiẽ-
tem dixeris eum Regem, qui sapiens sit vel sapientum
commercio. Scio Regis Philippi sapientiam eiusmodi
fuisse, vt quidquid in publicam vtilitatem consulendũ
esset, venisset illi sapius in mentem. non minoris pru-
dentiæ fuit, aliorum bene inuentis obtemperare: neque
ita tamen erat alieno iudicio obnoxius, vt regi magis, du-
ciq;, quàm iuuari dici posset: neque ita superbus vt de
sua

5
sua vnius sententia gereret omnia. Senatium non semel
ingressus vbi de grauiori aliquo negotio reserebatur,
singulorum prolatis sententijs affirmabat (vt testan-
tur familiares) longe aliam sibi mentem & rationem
esse: ne tamen eorum iudicia contemnere videretur, aut
proprio plus æquo tribuere, id statuebat omnino, iube-
batque in quod consiliariorum suffragia concurrisset:
quòd in priuata persona singularis modestiæ signū est:
in Principe, cui proratione solet esse voluntas, instar
miraculi. Ob id etiam consiliarios vndequaue conquire
bat fidos, rerum, hominumque peritos, fortuna varia
exercitos, non priuatis studijs, nec ex commendatione,
aut precibus paucorum, qui salutaria magis quam sua-
uia bello, paceque suggererent. Consilijs tamen omni-
bus gubernaculum legem diuinam præfigebat, eoque so-
lūm nomine cuilibet ferme consultationi doctrina vi-
taque præstantes adhibebat Theologos, nequid in suā,
Regniue vtilitatē decerneretur, quod æternæ legis san-
ctitatem laderet vel minueret. Iam verò in deligendis
administris, qui publice vel priuatim sibi in functione
aliqua sui vsum & iustitiæ administrationem exhibe-
rent ecquis illo vnquam fuit vel diligentior, vel cuncta-
tior? Præfectos Prouinciarum, iudiciorum Præsides, Sa-
crorum Antistites, Academiarum Rectores quanta cū
solicitudine & anxietate explorabat, à genere, à vita,
ab ingenio, à doctrina? sed vt quisque moribus præsta-
ret,

ret, ita apud illum dignatione præcellebat ac münere,
merito ut in Philippi principatum quadret illud Poe-
ta: Emitur sola virtute Potestas. His artibus breui con-
secutus est, ut omnes iustitiæ partes vel per se, vel quod
in proximo est, per administratos recte obierit, siue distri-
buenda munera, siue compensanda obsequia, siue ple-
tenda forent flagitia. Quibus rebus humana omnis Iu-
stitia, præsertim quæ ad Principem attinet, continetur:
& sine qua magna regna quid sunt, nisi magna latro-
cinia? Istud est perfectio vinculum, quo Respublicæ co-
herent, ille spiritus vitalis, qui fouet tot mortalium mil-
lia, nihil ipsa per se futura, nisi onus & prædam, si mēs
illa imperij subtrahatur. Hæc tua pene propria virtus
est æquissime Princeps, quæ sola non inter Libram &
Leonem, Iustitiæ & fortitudinis signa, ubi ipsa solium
delegit, sed inter illos heroes, quos æquus amauit re-
rum omnium moderator, te posse uti speramus collo-
care.

Leuia sunt quæ de Iustitia & æquitate Philippi
hactenus audistis, præ ut quæ de Religione audienda
sunt, altera nimirum Regni anchora, quam Synesius
quidam Græcus Orator Regnorum fulchrum & basim
vocitabat: sed quanto virtus hæc iustitiæ præstat, tanto
impensi in eius culturam, studiumque Rex noster incu-
bit. In rebus diuinis meditandis, in precationibus fun-
dendis, in audiendis concionibus, in suscipiendis religio-
nis

nis nostræ mysterijs quot horas collocare solitus sit,
 nisi partem maximam eorum, qui adsunt, probè scire
 arbitrarer, longiori fortassis oratione prosequerer. Sed
 domesticæ pietatis argumenta prætereo, ad publica pro
 perat mens & oratio. Neq; à me expectetis, ut tepla ac
 cænobia regijs impēsis extructa cōmemorē: quanquā hac
 in parte munificētiæ ita excelluit, ut Thebarū portæ, &
 Ægypti piramides minus deinceps habituræ sint admi
 rabilitatis, si cum inclyto, verè Regio & admirabili Di
 ui Laurentij cænobio conferantur. Omitto etiam quot
 opes profuderit, ut vel nutantes in Religione confirma
 ret, vel deficientes compefceret, vel pro eadem retinenda
 extreme laborantes conseruaret. Vestram ego fidem te
 stor, auctoritatemque quotquot in Britannia, Anglia,
 Germania, Gallia, Vngaria, Bohemia, Transyluania,
 Polonia, Saxoniam, Suenia, Dania, his quinquaginta an
 nis vixistis Catholici: num vobis aliquando consilio, ope
 ra, pecunia defuit Rex Catholicus? Magnum hoc est Re
 ligionis documentum, inaudita liberalitas, sed quæ lon
 gius semper progressa paternam illam vocem subinde
 possit attollere: *PLVS VLTIRA*? Cùm hæresum cōta
 gionē serpere latius animaduerteteret, & Apostolicæ Se
 dis auctoritatem modis omnibus oppugnari, non so
 lūm aperta vi propugnare voluit, sed importunos Reli
 gionis hostes, fœda Baratri monstra, decreuit arte
 & cuniculis expugnare. Bonæ indolis adolescentes in
Hispa

1711

Hispaniam ex affectis illis prouintijs regia plane benignitate euocabat, alebat opibus, doctrina orthodoxa instituendos curabat, vt veræ pietatis gustum, & nostræ Religionis succum ad gentiles & populares suos deriuarent. Neque solum Christiani Sacramenti desertores ad Catholicæ militiæ castra his artibus conabatur adducere, sed quibus nondum Euangelij lux affulsisset, in eorum Regna, mentesque caelestis doctrinæ radios inducere laborabat. Testis mihi sit Peruana, Mexicanaq; prouincia, Testes insulæ omnes ad Solem occidentem sitæ, Testis Iapponis immensa Regio, in quam tres ille destinauit Antistites, è quibus vnus felici nuper ingressus auspicio sacrorum ordinum initia & confirmationis, vt vocant, Sacramentum apud illas gentes à nostro penitus diuisas orbe fundauit.

Reduco vos iterū in Europā, Auditores, sed ita tamē vt ex itinere, ostendā interminabilis Oceani minutissimos sinus: nū quē repertū iri existimatis, in quo Regis nostri pietas, religioq; nō leuiter expressa cernatur: t̄st ubi veterū Regū beneficia cōfirmarit, auxerit, innouauerit. Alicubi primus ipsa sumptus annuos ijs decreuit, qui barbarorū animis ad pietatē excolēdis operā nauāt. Pro Religione Catholica retinenda & amplificanda nullis parcebat sumptibus aut laboribus, pro vindicanda impietate grauissimas rerum suarum iacturas non æquo modo, sed leto animo faciebat: Regnorum vtique

omnium

7
omnium ob eandem causam, si res ita darent, minime
grauatè subiturus. Nolunt plerique omnes (opinor)
quas in Belgio turbas Regis animus Religionis amo-
re flagrans concitarit, pacata predicabantur mox futu-
ra omnia conuiuèret ipse, & Religionis (vt locuntur)
libertatem permetteret. Quid ageret, quid consilij cape-
ret Rex optimus & prudentissimus. Non deerant qui
silentium & dissimulationem, in tempus saltem, sua-
derent, nedum se nefarijs hereticorum conatibus im-
portunè opponeret, prouintiam irret perditum vniuer-
sam. Honestà ratio videbatur hæc, telum alterum dein-
de intentum non minus validum, Mentium Regem so-
lum esse Deum, nemini imponi posse necessitatem, vel
credendi quod nolet, vel non credendi, quod vellet. In-
iunctus tamen ad hæc Regis animus, sibi mentem non
esse ait, qui nondum sacræ Religionis mysteria susce-
pissent hos adigere ad christianam militiam capeffen-
dam, eidem qui iam dedissent nomen, eos verò summa
contentione ad seruandam fidem non secus compellen-
dos, ac si in rebus humanis eandem fregissent: omnia
regna sibi facilius ac libentius ereptum iri profiteretur
palam, quam ex animo affligenda hæreseos volunta-
tem at sibi proprie dictum putabat, puniantur à te, ne
tu pro illis puniaris. & si quid in diuinam Religionem
communiter id verò in sui suorumque iniuriam ferri
opinabatur: id videlicet fuit causæ vt tam acriter, tam
seuerè

seuerè violatæ Religionis iniurias in sacrilegorum capita vindicaret, tot classes instrueret ad hæreticorum audaciam comprimendam, tot bella susciperet vt Agarenorum reliquias in Regno Granatensi res nouas molientes castigaret. Extat hodieque in omnium animis, multorum in oculis, ni fallor, pulcherrimum illud spectaculum, cum Rex omnium præclarissimus fidei apparitorem, religionisque satellitem gessit. Quid enim aliud agebat gladius ille vagina vacuus, quem prætendebat dextra in celeberrimo sacræ Inquisitionis theatro?

Scitis quid loquar, Viri ornatissimi, neque enim res tanta, tam illustris, tam noua, in recenti præsertim memoria vobis potest esse ignota. Et tamen cogor hæc tam præclara nimia celeritate percurrere, quæ varie diducenda forent, & figuris ac scemmatibus illustranda. Malo tamen Princeps optime, atque maxime Oratoricæ disciplinæ imperitus haberi, quam dum alia exornare conor, pene infinita tuæ pietatis ornamenta relinquere.

Hæreticorum furor & rabies in Deum, in sacros ritus, Sanctorum reliquias & imagines sine discrimine desauit. Catholici Regis pietas in eadem his turbulentis temporibus mirifice se probauit. Eugenij sanctissimi viri Toletani quondam Archiepiscopi reliquias ab ipsa Gallia in urbem, templumque
suum,

suum, quibus impensis queso, qua pietate transtulit: Beatae Leocadiae corpus à Belgio qua pompa & apparatu? Hic ego mihi dari vellem priscos illos maiorum gentium heroes Christianae Reipublicae propugnatores Augustos, Heraclios, Theodosios, Constantinos, alios, ut exempla conferrem: Ostenderem vobis aliquem opibus, potentia, nobilitate vel superiorem, vel certe parem, vera in Deum pietate nequaquam inferiore. Expectate rem quam velitis maximam, vincam tamen omnium expectationem: celeberrimam illam pompam pedibus prosequeretur affecta iam aetate senex annis & curis grauis, ac ne quid ad pietatem deesset, accedit ad ferculū, quo sacra ossa inclusa portabatur, adoratur, cōtingit, osculatur, humeris imponit, gestat, religioso magis ministerio, an admirabili? Tanta pietatis consortem filiolum, qui parentis tegebat latus, ut efficeret, cū per aetatem ille nondum exequi posset, quod pater optabat, in eius locum sufficit vnus ex ijs, quos Magnates appellant in Hispania, & ita prudenter attemperauit omnia, ut & Regis filius sacrum ferculum quoquomodo contingeret, & qui in agmine incedebant functionem illam propriam ipsius esse, vicariam operam ab illo altero iusta de causa suppleri animaduertent. Quid Iusto & Pastori pueris sanctissimis pro fidei professione olim trucidatis in Vrbe Complutensi honores ab eodem

eodem Rege habitos commemorem? Quid Iacobo Frã
ciscanae familiae alumno felicissimo, quem Sixtus V.
Pontifex Maximus nostra memoria in Sanctorum nu-
mero Regis nostri rogatu & expensis collocauit? Quid
verò sacrorum Bibliorum editio Montani opera & in-
dustria adlaborata, non ne Cat^holici Regis pietati, libe-
ralitatiq̃ue debetur? Ecquis nunquam religiosas fami-
lias, sacrorum ministros, fidei quæsitores ita fouit,
ita coluit, ita ad auctoritatem & reuerentiam instru-
xit? Non ne religiosi animi studium fuit in doctis vi-
ris perquirendis & exornandis tempus & opes expen-
disse. Nostra hæc certè celeberrima Academia no-
uis subinde constitutionibus ac legibus ad eodem mu-
nita, Magistris excellentis doctrinae, & spectatae virtu-
tis vel aliunde pertractis, vel honoribus & emolumen-
to auctis, magnæ spei doctoribus, qui veteranis succedant
conductis & quasi subcenturiatis, veræ & orthodoxæ
doctrinae studium, & quod in proximo est, ardentem
Regis pietatem affirmat.

Hæc dum contemplor (auditores humanissimi) in
mentem venit illius emblematis, quod Philippi sub
nomine celebratur, Sol quadrigarum inuehens curru
addito elogio, I A M I L L V S T R A B I T
O M N I A. Valeat hac in re existimatio vestra, mea
tamen sic est ratio, significari eiusmodi inuento, non
desituro vltio vnquam tempore Philippianam donec ad
extremas

9
extremas vsque Regiones caelestis fidei lampada perdis-
ceret. Neque voti sui aut conatus irritus fuit, eadem
enim opera id effecit quod imprimis optabat. & dictio-
nis suae non fama solum, sed vis & efficacia ijs qui-
bus orbis clauditur terminis circumscripta est. Per verum
que Oceanum longè lateque funditur, & ad geminos
caeli cardines vnà cum Religione Philippi recurrit Im-
perium. Magnum profecto magnū accepit à Patre, sed
quàm auctum, quàm exornatum relinquit filio? acces-
sione nimirum illius Regni, cui insigne peculiare est ce-
lestium Sphaerarum globus, quod à Ioanne Secundo in-
uentum Emmanuel aeterna memoria dignissimus Prin-
ceps, Philippi auus habuit peculiare, posterisque suis re-
liquit hereditarium, vt de Philippo, qui in vtriusque lo-
cum nutu diuino successit, possimus predicare, iam il-
lustrauit omnia. Quamquam enim non eo animo Deum
coluit, vt aufereretur, Deo tamen visum est externa haec
etiam praemia adijcere pietati. Non dubitauerunt vel
ipsi Romani, vt quidam ex illius gentis scriptoribus, li-
teris prodidit, sacris Imperia seruire, eaque futura am-
plissima, quae diuino Imperio bene & constanter famu-
larentur.

Huic huic pietati, victorie gloriosissime ab hosti-
bus reportatae, & praelia ipsius vel dextra, vel auspicio
suscepta, & feliciter confecta referenda sunt. quod erat

tertium nostræ dictionis caput) & pleni sunt libri, hominumque memoriæ ijs, quæ possem memorare, vel aduersus Turcas inchyti Ioannis Austriaci ductu & fortitudine singulari, vel aduersus alios Christiani nominis hostes. At pelagus tam vastum non ingredi, quàm facile prætergredi satius est.

Eidem pietati debemus tres & septuaginta annos ætatis, tot enim agebat, non sine admiratione multorū, qui sollicitam illam & exercitam senectutē tot casibus, tot ærumnis imparem credebant, nisi occulta aliqua ac diuina vi mirabiliter fulciretur. Eidem pax hæc & tranquillitas tribuatur, quam filio nobisque reliquit Gallorum Rege in amicitia fædus vel inuitato, vel admissio. Celebrantur ab antiquis non dico Oratoribus, sed Poetis, quibus non solum in maius euehendi Regum facta, dictaque, at omnino mentiendi, ius semper & potestas fuit, Augusti, Ptolomæi, Alexandri, quibus non sufficit Orbis, & si qui sunt alij, quos antiquitas celebret felicissimos. Vana felicitas, omnium sit, si cum Regis nostri felicitate componatur. Præclare quidem à sapientissimo iuxta ac sanctissimo viro dictum est, summæ felicitatis est à felicitate non vinci: quæ foret Philippi felicitas, si in his bonis duxisset dies suos, & in puncto ad inferna descendisset: bracteata sanè felicitas, & quæ præter inanem crepitum nihil habeat solidi. Benè, feliciterque vixit, melius feliciterque obiit. Nam cum difficillimum

ficillimum sit eum, qui diu versatur inter famulantiū,
 sæpe etiam adulantium greges sensum modificari, &
 intra humanam conditionem consistere, felicitatis exi-
 miæ fuisse interpretor tot angoribus & ægrimonijs in
 postremo suæ actionis actu versatum fuisse. his enim le-
 tibi denuntiationibus eam animi æquitatem & depres-
 sionem nactus est, vt neminem in mo. te de se modestius
 sentientem animaduertes. Vbi tempus adesse cogno-
 uit sarcinas colligendi ab omni rerum humanarum cogi-
 tatione continuū se se, sua omnia, leuia, grauia, anti-
 qua, noua confessario impertit consilia, quid factu opus,
 imo quid factu optimum exquirat, arripit, exequitur.
 Afflictus lecto ab eo morbo quem habuit in vita supre-
 mum, dies decubuit quinquaginta, nihil omittens eorū
 quæ ad animum purgandum solennia habet (Christia-
 na Religio; fidem, quam sæpe armis & opibus defen-
 dit, clara professus voce, seque viliſſimum mancipium,
 Deum Regnatorem omnium ac Dominum identidem
 inclamans: Tu solus Dominus, Tu solus altissimus.
 Ac ne sibi quidem profuit, quin nobis etiam exēplo pro-
 desset. Vocat ad se filium tanti imperij candidatum, bre-
 ui sed sensu plena oratione excipit venientem: En me-
 ta (inquit) fili Regnorum omnium, nihil tibi vel am-
 plius vel vtilius relinquo hoc spectaculo, in me oculorum
 aciem animique conuerte, qui tot anfractus redditusque
 fortunæ aspexi, cuius ex nutu, non ita pridem omnes pē-
 debant,

debant, cuius oculi vt se se flexissent in quenquam, vel
exhilarabant, vel terrebant: vix membra nunc ipsa con-
sistunt horrida sanie v. r. ulēta & pedore deformia. Nō
minus me hominem esse vides, quā homines, quibus
præfui: caduca & fragilia quæ opes & vires humane
vocantur, an ignoras magnas arbores diu crescere, vna
hora extirpari? Sensum ergo ac spiritus tempera, & cum
Ela ex Dei timore moderare, nam me nunc id maximè
consolatur in hoc discessu, quo te iam Imperio maturū
relinquo, & quod potius duco, & mihi gratius est, Di-
uina legis & Imperij reuerētē esse intelligo. Sub hæc
cum paullulum à parentis conspectu se filius subduxis-
set, credo vt liberius indulgeret lacrymis, paruulam si-
bi iubet afferi techam, è qua Christi crucifixi simula-
crum effert, & cadentibus vbertim lacrymis, quam te
(inquit) nunc aspicio libens Domini mei effigies vene-
randa in hanc horam mihi religiose conseruata, huius
nauigationis astrum fortunatissimum te habuit olim
moriens Carolus Imperator Augustus Pater ac Domi-
nus meus, te duce procellosum hoc pelagus traiecit inco-
lumis, Tu mihi nunc pacatissimam transmissionem im-
perti. At vos familiares vbi conclamatus fuero, donum
hoc filio meo carissimo, vestro mox Regi futuro pater-
ni amoris monumentum, & à vita Religionis pignus,
mea auctoritate deferte, & ijs verbis, quæ à me nunc
audiuistis, exornate munus. Christi deinde Iesu nomen
sua

11
suauissimum, fidemq; implorans, ac Virginis patrocinium, placidissimè efflauit animam. O mortem felicissimam, & qua ne optare quidem possis feliciorē: sed videlicet Religionis præmium fuit. Non potest tamen tanti Principis occasus mœstitiam & desiderium non afferre vobis præsertim Lusitanis, quos ille peculiari quodam studio & amore semper prosecutus est. Datum tamen & hoc fuit felicitati ipsius, vt alterum nobis re & nomine Philippum, verè item Catholicum reliquerit, qui rem Lusitanam cum Hispania vniuersa, vti spes est, ad supremum felicitatis gradum excitabit.

Dixit Medicinæ Primarius
Doctor Balthasar de Azeredo.



Doctor Escribano de Ascarido
Izquierda Medicina Primaria

